

ut Boetius dicit, ut in subiecto manens, sed ut in transitu quodam ad aliud ... Quod autem dicitur de aliquo ut ab eo in aliud procedens non facit compositionem cum eo, sicut nec actio cum agente. Et propter hoc etiam probat Philosophus V Phys. quod in *ad aliquid* non potest esse motus; quia, sine aliqua mutatione eius quod ad aliud refertur, potest relatio desinere ex sola mutatione alterius, sicut etiam de actione patet, quod non est motus secundum actionem nisi metaphorice et improprie, sicut exiens de otio in actum mutari dicimus; quod non esset si relatio vel actio significaret aliquid in subiecto manens ».

De Potentia, q. 7, a. 9 ad 7m: « ... nihil prohibet quod esse desinat huiusmodi accidens [relatio, actio] sine mutatione eius in quo est, quia sua ratio non perficitur prout est in ipso subiecto, sed prout transit in aliud; quo sublato, ratio huius accidentis tollitur quidem quantum ad actum, sed manet quantum ad causam; sicut et subtracta materia, tollitur calefactio, licet maneat calefactionis causa ».

In V Phys., lect. 3 (ed. Leon., II, 237; § 8): « In illis igitur relationibus quae non ponunt rem aliquam nisi in uno extremorum, non videtur difficile quod mutato illo extremo, in quo relatio realiter existit, de novo dicatur aliquid relative de altero, absque sui mutatione, cum nihil ei realiter adveniat. Sed in illis in quibus relatio invenitur realiter in utroque extremorum, videtur difficile quod aliquid dicatur de uno per mutationem alterius absque mutatione sui: cum nihil de novo adveniat alteri absque mutatione eius cui advenit. Unde dicendum est quod si aliquis per suam mutationem efficiatur mihi aequalis, me non mutato, ista aequalitas primo erat in me quodammodo, sicut (cōdd. scilicet) in sua radice, ex qua habet esse reale: ex hoc enim quod habeo talem quantitatem, competit mihi quod sim aequalis omnibus illis, qui eandem quantitatem habent. Cum ergo aliquis de novo accipit illam quantitatem, ista communis radix aequalitatis determinatur ad istum: et ideo nihil advenit mihi de novo per hoc quod incipio esse alteri aequalis per eius mutationem ».

Etiā vide: I In Sent., d. 26, q. 2, ad 1 ad 3m. In VII Phys., lect. 6; ed. Leon., II, 344. Sum. theol., III, q. 16, a. 6 ad 2m.

Quibus in locis, sequentia notari possunt:

a) Adest distinctio inter praedicata absoluta et relativa: absolutum enim est « ut in subiecto manens »; relativum et externum est « ut in aliud transiens vel procedens ».

b) Ad mutationem relationis realis, non necessario requiritur mutatio in ipso relationis subiecto, sed sufficit mutatio in termino.

*Respondetur.* Sunt duo respectus inter se distincti in quantum respectus sunt, *distinguitur*, quatenus sunt in mente, *conceditur*, quatenus sunt in rebus, *subdistinguitur*, sunt duo per realitatem subiecto intrinsicam, *negatur*, per realitatem subiecto intrinsicam et extrinsecam, *conceditur*.

5. *Instatur.* Atqui realitas extrinseca non potest facere duos respectus reales ex uno.

*Respondetur.* Per realitatem extrinsecam constitui non potest obiectiva determinatio alicuius respectus, *negatur*; per realitatem extrinsecam constitui non potest superaddita realitas subiecto intrinsicam, *conceditur*.

6. Forte sunt relationes externae quibus desint relationes internae quas determinent.

*Respondetur.* A parte rei desunt relationes internae quae ab externis determinentur, *negatur*. In mentibus nostris deest illa completa rerum intelligentia ut in singulis casibus cum certitudine et sine admixtione erroris assignari possit relatio interna externam fundans, *conceditur*.

Quare omnino notandum est ad relationem externam cognoscendam sufficere meram nominum intelligentiam et factorum contingentium et singularium observationem; e contra, ad relationem internam realem cognoscendam requiritur ipsarum rerum intelligentia; quam ob causam, et omnia nostra exempla relationum internarum ex scientiis sunt desumpta, et ipsa relationis internae notitia non ante habetur quam scientiae ita sint evolutae ut obiectum reflectionis et investigationis analyticae praebere possint.

At quamvis omnes relationes reales et internae assignari non possint antequam omnes res penitus intelligantur, non ideo dubitandum est omnes res esse penitus intelligibiles quia nos non omnia intelligimus. Caeterum, ad scopum praesentem sufficere videtur quod relationes internas et reales adesse probavimus in accidentibus et substantiis finitis, in animabus et principiis rerum metaphysicis, in causatis et quantis, in rebus naturalibus, viventibus, et intellectualibus.

Iam enim constat relationem externam non addere aliam realitatem subjecto intrinsecam super realitatem relationis internae.

6. In rebus creatis ea existunt quae secundum quid sunt absoluta et secundum quid relativa.

Eiusmodi enim sunt subiecta relationum internarum, quae sunt absoluta secundum quod sunt subiecta, et sunt relativa in quantum relationes sunt de ipsa eorum ratione. V. g., accidentia, naturae, animae, principia rerum metaphysica, subiecta principiorum analyticorum cum praedicato relativo, quanta, res quae legibus naturalibus subsunt, partes organicae, potentiae, habitus, et operationes psychologicae.

7. In rebus creatis non existit quod sit simpliciter relativum.

Si enim existeret, esset relatio. Sed relatio aut est interna aut externa; et neutra ponit in rebus realitatem simpliciter relativam.

Caeterum, quidquid reale est, affirmari potest; quidquid affirmari potest, absoluti rationem participat cum iam sit extra causas et in se ipsa; et ideo omne relativum, in quantum est reale, secundum quid est absolutum.

8. In rebus creatis non existit quod sit simpliciter absolutum.

Quod est simpliciter absolutum, non habet causas reales sive extrinsecas sive intrinsecas. Sed quod non habet causas extrinsecas, non est creatum; et quod non habet causas intrinsecas, non est finitum.

Praeterea, omnis res creata est quemdam natura; et omnis natura est principium intrinsecum operationum; et omne tale principium creatum realiter refertur ad aliud realiter distinctum.

Praeterea, si quidquam in rebus creatis esset absolutum simpliciter, saltem substantia esset absoluta simpliciter; sed, uti supra conclusimus, non concreta substantiae entitas, sed generica substantiae ratio est absoluta simpliciter, cum omne quod est substantia etiam natura sit.

Praeterea, nihil cognoscimus, nisi affirmamus; nihil affirmamus, nisi idem concipimus; et nihil concipimus sine relationibus; nihil ergo cognoscimus sine relationibus.